

atque ad suppeditandum auditoribus tempus ea quæ lecta sunt perpendendi atque meditandi. Dicuntur Responsoria a **respondere**, quia uno præcinente, Chorus consonando respondet.

II. Responsorium quodlibet duabus constat partibus: prior proprie **Responsorium** dicitur, et ipsa distinguitur duabus partibus quæ asterisco separantur, et quarum ultima repetitur; altera appellatur **Versus**. Et sic ambo invicem committi et aptari decet, ut verba in quibus desinit Versus cum parte Responsorii resumenda quadrent apposite, sensum efficiendo hærentem ac congruum. — Quandoque in Responsorio signantur duo asterisci ante Versum; ex. gr., in Responsorii tertio, sexto et octavo Officii votivi de Passione D. N. J. C.; tunc post Versum repetitur ea Responsorii pars quæ est a primo asterisco ad secundum, et post *Gloria Patri* dicitur reliqua pars a secundo asterisco ad finem Responsorii. (S. Rituum Congregatio, Decret. 7 Decembris 1844, n. 2872, ad 3, antiq. 4685, ad 7; et 2 Junii 1883, n. 3576, antiq. 5874, ad 13.) Si plures notantur asterisci, in propriis locis indicatur quomodo Responsorium sit legendum; ex. gr., in Dominica I Adventus, ad Responsorium primum.

Regulariter in fine ultimi Responsorii cujuslibet Nocturni, tam in Officio novem quam trium Lectionum, dicitur: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*; cum repetitione partis Responsorii; excepto tempore Passionis, quo tempore loco *Gloria Patri*, repetitur Responsorium a principio; excepto etiam Officio Defunctorum, in quo illius loco dicitur: *Requiem æternam dona eis, Domine*. (Rubricæ generales, Tit. XXVIII, n. 2.)

Tempore Paschali, in fine Responsorii, ante Versum, hoc est, in fine partis repetendæ, additur *Alleluja*.

Generatim in Officiis de Tempore desumuntur Responsoria ex ipsis S. Scripturæ libris qui tunc leguntur, eorumque textus correspondet Scripturæ pro tempore occurrenti; ideoque et ipsa indicant characterem proprium, tum tempori anni ecclesiastici, tum festivitati; habentur ita Responsoria ex libris Genesis, Regum, Job, Tobie, Judith, Esther, Machabæorum, etc. Hujusmodi Responsoria, ex uno eodemque Scripturæ libro una cum Lectionibus desumpta, vocantur in Rubricis Breviarii Historiæ. (Rubricæ generales, Tit. IV, n. 7.)

Quorundam ex Responsoriis Officii de Tempore selectam pulchritudinem indicant auctores; ex. gr., Temporis Adventus, Temporis Passionis, etc. (Cfr. Battifol, *Histoire du Bréviaire Romain*, pag. 104, 110.)

In quibusdam Festis Sanctorum, studiose sumuntur ex Actis Sanctorum, ex. gr., in Officiis S. Martini, S. Cæcilie, S. Andree; plerumque tamen desumpta sunt e Scripturæ diversis locis, quæ aptissime faciunt ad Mysterium vel Festum quod celebratur. Hac ratione S. Thomas ita decore Responsoria in Officio SS. Sacramenti concinnavit, ut ad Responsorium de veteri Testamento Versus de Novo adtextatur, et vicissim, quasi ambo Testamenta laudem SS. Sacramenti clament unum ad alterum.

§ 4. CAPITULA CUM SUIS RESPONSOIIS

Q. 37. *Quid sunt Capitula, et in quibus Horis dicuntur? Quid de eis insuper notandum est?*

R. I. Capitula sunt breviora Capita, scilicet breviores quædam lectiones, aut exhortationes, quæ dicuntur ad Vesperas, Laudes et alias Horas diurnas post Psalmos; et ad Completorium post Hymnum.

In Officiis præcipuarum Dominicarum per annum, necnon in pluribus Festivitatibus, desumpta sæpe sunt ex Epistolis Missarum, ita ut principium Epistolæ inserviat pro Capitulo in Vesperis, Laudibus, ac Tertia, et finis pro Capitulo in Nona, selecta quadam parte Epistolæ pro Capitulo Sextæ.

Non raro in vetustorum Officiorum Capitulis datur differentia inter eorum et Vulgatæ textum; ex eo quod tempore correctionis Breviarii, sub Clemente VIII, anno 1602 (de qua dicitur in secunda Parte Tractatus), Missale nondum fuerat correctum, eorumque textus ex Epistolis Missalis qualis tunc erat desumptus retentus fuit; facta autem postea, anno 1604, correctione textus Missalis, omnia remansit Capitulum in Breviario revisio, unde non cum textu Epistolarum concordant. Quod Summi Pontifices negligi posse duxerunt, nulli editori licet privata auctoritate corrigere.

II. Capitula dicuntur in omnibus Officiis, præterquam a Feria quinta in Cæna Domini usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, et præterquam in Officio Defunctorum.

Breviora sunt Capitula, forsitan ratione occupationum diurnarum.

Capitulum Primæ et Capitulum Completorii semper eadem his Horis propria dicuntur.

In omnibus Festis, et etiam in quibusdam Dominicis et Feriis, idem Capitulum dicitur ad Horas nobiliores scilicet utrasque Vesperas, Laudes et Tertiam.

Dicuntur Capitula a digniore Chori, vel ab alio præposito; ideo non petitur ante ea benedictio, et omnes stant quando dicuntur, et non terminantur conclusione *Tu autem*; respondetur tamen: *Deo gratias*.

Q. 38. *Quid sunt Responsoria brevia, et in quibus Horis dicuntur?*

R. Responsoria quæ dicuntur post Capitula in Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorio, dicuntur brevia respectu præcedentis Capituli brevioris.

Omittuntur in Triduo sacro ante Pascha, et in Festo ac Octava Paschatis usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusive.

Parum differunt ab aliis Responsoriis quæ dicuntur post Lectiones in Matutino, nisi quod addatur semper Hymnus Apostolicus *Gloria Patri, etc.*, excepto tempore Passionis; et quod post *Gloria Patri* repetatur non tantum pars, sed totum Responsorium. (Rubricæ generales, Tit. XXVIII, n. 2.)

Ad Primam et ad Completorium semper dicuntur eadem, eo modo ut in Psalterio describuntur. In Responsorio brevi ad Primam tamen aliquando Versus mutari debet, de qua mutatione dicitur postea in Parte tertia Tractatus, Q. 218.

Tempore Paschali alio modo ordinantur hæc Responsoria quam in Matutino; etenim in fine Responsorii proprie dicti, ante Versum dicuntur duo *Alleluja*, quæ etiam post dictum Versum repetuntur pro parte Responsorii, et post *Gloria Patri* resumitur ipsum Responsorium cum duobus *Alleluja*. (Rubricæ generales, Tit. XXVIII, n. 5.)

§ 5. HYMNI.

Q. 39. *Quid est Hymnus? Quot constat partibus? In quibus Horis Officii dicuntur Hymni? Quandoam fuerunt inserti Hymni in Officio divino?*

R. I. Hymnus dicitur solemne carmen ad Dei laudem

compositum, atque ad leges musicas decantandum, proprium diei, vel Festo quod celebratur.

Ejus conditiones ita exprimit S. Augustinus: « Hymnus scitis quid est? Cantus est cum laude Dei. Si laudas Deum, et non cantas, non dicis Hymnum. Si cantas, et non laudas Deum, non dicis Hymnum. Si laudas aliquid, quod non pertinet ad laudem Dei, etsi cantando laudes, non dicis Hymnum. » (Sermo in Psalm. 148.)

II. Hymnus ut plurimum quatuor constat partibus:

1° Exordii loco præmitti solet vel invocatio numinis, vel invitatio ad laudandum Deum.

2° Subjungitur statim ipsa Mysterii aut Sanctorum, de quibus Hymnus dicitur, commendatio.

3° Petitioni ordinarie impenditur penultima strophæ.

4° Ultimam stropham obtinet glorificatio SS. Trinitatis, qua Hymni æque ac Psalmi concluduntur.

III. « Hymni semper dicuntur in qualibet Hora, præterquam a triduo ante Pascha usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, et præterquam in Officio Defunctorum. » (Rubricæ generales, Tit. XX, n. 1.)

Hymni fortitudinem significant, et Dei majestatem, necnon ejusdem beneficia vel facta miranda laudant: unde stantes eos canimus, ob reverentiam, et ut ostendamus nos sursum ad Deum habere ora et corda nostra.

Quæ regulæ servandæ sint pro mutationibus faciendis in ultima strophæ Hymnorum exponentur in Quæstionibus 195-197 tertiæ partis Tractatus.

IV. Initiis Ecclesiæ coævum esse ritum in Ecclesia cantandi Hymnos, pluribus monumentis comprobari potest. Inter Patres Latinos Hymnorum carmine claudit Sanctus Hilarius Pictaviensis († 368), cujus Liber Hymnorum, de quo testantur S. Hieronymus et S. Isidorus Hispalensis, ad nos non pervenit; et præcipue S. Ambrosius († 397), qui plures composuit adeo commendatos Ecclesiis, ut pleræque illos adoptare non dubitaverint, et S. Benedictus præscribens canere Hymnos illud in sua Regula vocet **canere Ambrosianum**. De S. Gelasio I Summo Pontifice († 496) legitur in ejus vita (Breviarium, Proprium Romanum, 29 No-

vembris) quod Hymnos ecclesiasticos scripsit; item de S. Leone II († 684) legimus in Breviarii Officio (28 Junii) quod Hymnos et Psalmos in Ecclesia ad concantum meliorem reduxit.

Quamvis Hymni jam a sæculo sexto per Hispaniam inserti reperiantur in Officiis ecclesiasticis, in Romano Basilicæ Vaticanæ Officio sero equidem Hymni cani cœperunt; et sæculo VIII quidem, diffusa Liturgia Romana Basilicæ S. Petri, fere ubique (paucis exceptis Abbatiis) usus Hymnorum in Officiis derelictus fuit; sed, labente sæculo IX, injuria temporum minuente Romanæ Ecclesiæ auctoritate, propagantibus præsertim monachis Cluniacensibus, sæculis X et XI, Hymni Hymnarii Benedictini fere ubique iterum recepti fuerunt; Romæ tamen post sæculum duodecimum tantum in Officio Romano inserti fuerunt, vel sub Innocentio III († 1216), in Breviario dicto de Camera, seu secundum usum Romanæ Curie, vel sub Gregorio IX, quando anno 1241 Haymo, Fratrum Minorum Generalis Minister, hujus Pontificis jussu correxit Breviarium.

Cum postmodum Hymnorum nonnulli, qui in Romano Officio fuerant inserti, in quibusdam partibus circa metri et numeri exactas leges peccarent, initio sæculi XVI. Leo X († 1521) cogitavit de reformatione Hymnarii, et novum compositum fuit Hymnarium a Zacharia Ferreri, Episcopo Guardiensi, a Clemente VII anno 1523 approbatum. Sunt Hymni « juxta veram metri et latinæ normam, » sed in quibus Olympus, et Quirites, et penates nimias partes tenent. Mortuo auctore, hæc humanistarum reformatio relicta fuit, utpote a vera liturgica traditione prorsus aliena. Postea Urbanus VIII, anno 1629, operam adhibuit, ut omnes Breviarii Hymni, vel emendationibus codicibus adhibitis, vel aliqua facta mutatione, ad carminis et latinæ leges revocarentur. (Cfr. Bulla Urbani VIII, 25 Januarii 1631, in initio Breviarii.)

De hac correctione multi conquesti sunt, et hodie etiam conqueruntur, quasi deformatum dicentes opus christianæ antiquitatis, amissam veterem simplicitatem, enervatamque pietatis vim quam undique veteres

spirabant Hymni; unde effatum: *accessit latinitas et recessit pietas*. Alii autem plurimi faciunt emendationem.

(Cfr. Cabrol, *Le livre de la prière antique*. Paris, 1900, pag. 140; et Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 434.)

Q. 40. *Exhibe ordinem Hymnorum in Breviario Romano, et indica auctores notos singulorum, vel ætatem qua compositi fuerunt.*

R. Hymni numerantur hodie in ipso Breviario Romano circiter 140, et circiter 40 in Appendicibus. — Præterea multos alios Hymnos reperire est in Breviariis Ordinum Religiosorum.

Juvât hic Hymnos secundum ordinem Breviarii Romani recensere; cum nota auctorum quibus a cultoribus Historiæ liturgicæ adscribuntur, aut sæculorum quibus confecti fuerunt.

NOTA. Tamquam auctores Hymnorum indicantur hic illi quos documenta historica, aut constans traditio proponunt.

Investigationis studium nostris diebus instituitur super thesauris liturgicis, ad stabiliendum vel infirmandum quidquid sæculorum traditio nobis de eorum origine transmissit; et speciatim periti Hymnorum textus perscrutantur, fontes indagant, quique Hymnos composuerint inquirunt; unde quædam antiquitus certa hodie uti dubia censentur.

Ad exemplum notare placet de Hymnis S. Ambrosio adscriptis: hunc Sanctum multos composuisse Hymnos indubie constat; non omnes tamen qui antiquitus ipsi tribuebantur tribui cum certitudine posse competum fuit; et quidam ex his inde vocati fuerunt « Ambrosiani », nempe ad imitationem S. Ambrosii, qui compositi creduntur a sæculo V ad VII. — Hodie, dum aliqui periti affirmant posse nomine S. Ambrosii condecorari Hymnos circiter quadraginta, alii dicunt id cum certitudine historica non constare nisi pro quatuor tantum, de quibus S. Augustinus occasione data in diversis scriptis testatur.

Hi quatuor Hymni sunt: *Æterne rerum conditor*, qui in Romano Breviario ad Laudes Dominicæ dicitur; — *Deus creator omnium*, quem Benedictini in Officio vespertino dicunt; — *Veni Redemptor gentium*, de Natali Domini, qui adhuc prostat in Breviariis Fratrum Prædicatorum et Canonicorum Præmonstratensium; — *Jam surgit hora tertia*, ad Tertiam, qui olim usitatissimus hodie in nullo Breviario occurrit. (Cfr. Kayser, *Beiträge zur Geschichte und Erklärung der ältesten Kirchenhymnen*. Paderborn, 1881, pag. 127-192.)

Præter Hymnum *Æterne rerum conditor*, in sequentibus notis S. Ambrosio adscripti retinentur alii, quos usque hodie ple-

rique auctores eidem Sancto tribuunt, etiamsi certitudo historica constantem traditionem non confirmet.

IN OFFICIIS DE TEMPORE

1. Dominica : ad Matutinum : *Primo die quo Trinitas*. S. Gregorius I (Magnus) († 604).
Nocte surgentes. S. Gregorius.
ad Laudes : *Æterne rerum Conditor*. S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis († 397). Hymnus hic a peritis æstimatur apprime suavis et admodum elegans, ejusque pulchritudinem (ravissante beauté) diserte commentat Pimont, in opere infra citato (Tome I, pag. 48).
Ecce jam noctis. S. Gregorius.
ad Primam : *Jam lucis orto sidere*. S. Ambrosius. Juxta quosdam dicitur « Ambrosianus », id est, ad imitationem Hymnorum S. Ambrosii, a sæculo V ad VII compositus.
ad Tertiam : *Λunc, sancte nobis Spiritus*. S. Ambrosius.
ad Sextam : *Rector potens, verax Deus*. S. Ambrosius.
ad Nonam : *Rerum, Deus, tenax vigor*. S. Ambrosius.
ad Vesperas : *Lucis Creator optime*. S. Gregorius? Juxta alios Ambrosianus.
ad Completorium : *Te lucis ante terminum*. S. Ambrosius.
2. Feria II : ad M. *Somno reffectis artubus*. S. Ambrosius.
ad L. *Splendor paternæ gloriæ*. S. Ambrosius.
ad V. *Immense celi Conditor*. S. Ambrosius.
3. Feria III : ad M. *Consors paterni luminis*. S. Ambrosius.
ad L. *Ales diei nuntius*. Prudentius (Aurelius Prudentius Clemens) ex Hispania († 413).
ad V. *Telluris alme Conditor*. S. Ambrosius.
4. Feria IV : ad M. *Rerum Creator optime*. S. Gregorius.
ad L. *Nox, et tenebræ, et nubila*. Prudentius.
ad V. *Cæli Deus sanctissime*. S. Ambrosius.
5. Feria V : ad M. *Nox atra rerum contegit*. S. Gregorius.
ad L. *Lux ecce surgit aurca*. Prudentius.
ad V. *Magnæ Deus potentie*. S. Ambrosius.
6. Feria VI : ad M. *Tu Trinitatis Unitas*. S. Gregorius.
ad L. *Æterna cæli gloria*. Sæculi VI.
ad V. *Hominis superne Conditor*. S. Ambrosius.
7. Sabbato : ad M. *Summæ Parens clementiæ*. S. Gregorius.
ad L. *Aurora jam spargit polum*. S. Gregorius.
ad V. *Jam sol recedit igneus*. S. Ambrosius.
8. In Adventu : ad V. *Creator alme siderum*. S. Gregorius.
ad M. *Verbum supernum prodiens*. S. Ambrosius.
ad L. *En clara vox redarguit*. S. Ambrosius.
9. In Nativitate Domini : ad V. et M. *Jesu Redemptor omnium*. S. Ambrosius.
ad L. *A solis ortus cardine*. Sedulius (Coelius Sedulius) pres-

- byter in Achaia († 430). Vocatur hic Hymnus *abecedarius*, seu *Carmen alphabeticum*, cujus singulæ 23 strophæ successive incipiunt cum successivis litteris alphabeti. Est Hymnus omni pietatis affectu plenissimus, quo auctor Christi miraculorum nobilis præco totam Redemptoris vitam prosequitur. Ab hoc dulcissimo carmine non potuit Ecclesia quin sibi flosculos quosdam delibaret. (Daniel : *Thesaurus hymn iogicus*, II, pag. 144.) Septem primæ strophæ hujus Carminis in hoc Laudum Nativitatis Domini Hymno proponuntur. Vide etiam infra in Epiphania.
10. In Festo SS. Innocentium : ad M. *Audit tyrannus anxius*. Prudentius, in *Cathemerinon* (Hymnus XII, *de Epiphania*).
ad L. et V. *Salvete, flores martyrum*. Prudentius.
 11. In Epiphania : ad V. et M. *Crudelis Herodes, Deum*. Sedulius. Sunt Strophæ 8, 9, 11 et 13 Hymni abecedarii, de quo supra ; ante correctionem sub Urbano VIII factam strophæ 8 legebatur : *Hostis Herodes impie*.
ad L. *O sola magnarum urbium*. Prudentius.
 12. In Quadragesima : ad V. *Audi, benigne Conditor*. S. Gregorius.
ad M. *Ex more docti mystico*. S. Gregorius.
ad L. *O sol salutis, intimis*. Sæculi IX.
 13. Tempore Passionis : ad V. *Vexilla Regis prodeunt*. Venantius Fortunatus, Episcopus Pictaviensis († 603).
ad M. *Pange lingua gloriosi*. Claudianus Mamertius, presbyter Ecclesiæ Viennensis in Gallia († 474), frater S. Mamertii, Episcopi Viennensis, qui instituit Processiones Rogationum in Litanis minoribus.
ad L. *Lustra sex qui jam peregit*. Claudianus Mamertius.
 14. Tempore Paschali : ad V. *Ad regias Agni dap s.* Sæculi VI.
ad M. *Rex sempiternæ cœlitum*. Sæculi VI.
ad L. *Aurora cœlum purpurat*. Sæculi VI.
 15. In Ascensione Domini : ad V. et L. *Salutis humanæ Sator*. Sæculi X.
ad M. *Æterne Rex altissime*. Sæculi IX.
 16. In Pentecoste : ad V. et ad Tertiam : *Veni, Creator Spiritus*. Carolus Magnus, Imperator († 814), vel juxta alios Rabanus Maurus, Episcopus Maguntinus († 856). Hæc est hujus egregii Carminis excellentia, ut Ecclesia illud cantet non solum in Officio Octavæ Pentecostes, sed et in summis ac præclarissimis ceremoniis, ex gr., in consecratione Episcopi, in ordinatione Presbyteri, in coronatione Regis, in dedicatione Ecclesiæ, in celebratione Concilii et Synodi, etc.
ad M. *Jam Christus astra ascenderit*. Sæculi VIII.
ad L. *Beata nobis gaudia*. S. Hilarius, Episcopus Pictaviensis († 368).
 17. In Festo SS. Trinitatis : ad V. *Jam sol recedit igneus*. S. Ambrosius. (Idem ac Sabbato ad V. n. 7.)

ad M. *Summæ Parens clementiæ*. S. Gregorius. (Idem ac Sab-
bato ad M. n. 7.)
ad L. *Tu Trinitatis Unitas*. S. Gregorius. (Idem ac Feria VI
ad M. n. 6.)

18. In Festo SS. Corporis Christi : ad V. *Pange lingua gloriosi*.
S. Thomas Aquinas († 1274).
ad M. *Sacris solemnibus*. S. Thomas Aquinas.
ad L. *Verbum supernum*. S. Thomas Aquinas.

IN COMMUNI SANCTORUM.

19. Apostolorum : ad V. et L. *Exsultet orbis gaudiis*. Sæculi IX.
ad M. *Æterna Christi munera*. Ambrosianus, sæculi V.
20. Apostolorum, Tempore Paschali : ad V. et M. *Tristes erant*
Apostoli. Sæculi VI. Est pars Carminis Paschalis, *Aurora*, cu-
jus initium habetur in Laudibus Temporis Paschalis, supra
n. 14.
ad L. *Paschale mundo gaudium*. Sæculi VI, ut præcedens.
21. Unius Martyris : ad V. et M. *Deus tuorum militum*. Ambro-
sianus, sæculi VI.
ad L. *Invicte Martyr, unicum*. Sæculi X.
22. Plurimorum Martyrum : ad V. *Sanctorum meritis*. Sæculi
VIII.
ad M. *Christo profusum sanguinem*. Ambrosianus, sæculi VI.
ad L. *Rex gloriose martyrum*. Ambrosianus, sæculi VI.
23. Confessoris Pontificis : ad V. et M. *Iste Confessor Domini*.
Sæculi X. Nonnulli credunt hunc Hymnum fuisse composi-
tum in honore S. Martini, Episcopi Turonensis.
ad L. *Jesu, Redemptor omnium*. Sæculi IX.
24. Confessoris non Pontificis : ad L. *Jesu, corona celsior*. Am-
brosianus, sæculi VI.
25. Virginum : ad V. et L. *Jesu, corona virginum*. Ambrosia-
nus, sæculi VI.
ad M. *Virginis Proles*. Sæculi IX.
26. Non Virginum : ad V. et L. *Fortem virili pectore*. Silvio
Antoniano, Cardinalis († 1603).
ad M. *Hujus oratu Deus alme nobis*. Idem.
27. Dedicationis Ecclesiæ : ad V. et M. *Cælestis urbs Jerusa-
lem*. Sæculi VII.
ad L. *Alto ex Olympi vertice*. Sæculi VII.
28. Festorum B. Mariæ V. : ad V. *Ave, maris stella*. Venantius
Fortunatus ?
ad M. *Quem terra, pontus, sidera*. Venantius Fortunatus.
ad L. *O gloriosa virginum*. Venantius Fortunatus.
29. In Officio parvo B. Mariæ V. : *Memento, rerum Conditor*.
S. Ambrosius.

IN FESTIS

30. Immaculatæ Conceptionis B. M. V., 8 Decembris :
ad V. et ad L., ut supra in Festis B. M. V. n. 28.
ad M. *Præclara custos virginum*. Sæculi XVII.
31. Sanctissimi Nominis Jesu, Dominica II post Epiphaniam :
ad V. *Jesu dulcis memoria*. S. Bernardus, Abbas Claravallen-
sis († 1153). Quidam tamen adscribunt Hymnum Abbatissæ
cuidam Ordinis S. Benedicti, sæculi XIV. (Guéranger. *L'An-
née liturgique*, T. III.)
ad M. *Jesu Rex admirabilis*. Idem ut ad V.
ad L. *Jesu decus angelicum*. Idem ut ad V.
32. Cathedræ S. Petri Romæ, 18 Januarii, et Antiochiæ, 22
Februarii :
ad V. et M. *Quodcumque in orbe*. S. Paulinus, Patriarcha
Aquileensis († 802). Est pars Hymni qui integer describitur
apud Guéranger : *L'Année Liturgique*, T. XII, pag. 435.
ad L. *Beate pastor Petre*. Elpis, ex Sicilia, uxor Senatoris
Boëcii († 524). Est pars Hymni qui integer describitur apud
Guéranger : *L'Année liturgique*, T. XII, pag. 460.
33. Conversionis S. Pauli, Apostoli, 25 Januarii :
ad V. et M. *Egre, ie Doctor Paule*. Elpis. Idem notetur quod
ad Hymnum præcedentem.
34. S. Martinæ, Virg. et Mart., 30 Januarii :
ad V. et M. *Martinæ celebri*. Urbanus VIII († 1644).
ad L. *Tu natale solum*. Urbanus VIII.
35. SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V., 11 Fe-
bruarii :
ad V. *Bella dum late furerent*. Illmus Vincentius Tarozzi,
Secretarius Epistolarum Latinarum SS. D. Leonis XIII.
ad M. *Sic patres vitam peragunt*. Idem.
ad L. *Matris sub almæ numine*. Idem.
36. S. Joseph, Sponsi B. M. V., 19 Martii. Clemens XI, anno
1714, Officium S. Joseph quod hodie legimus composuit, seu
formam præsentem huic dedit, illudque universali Ecclesiæ
præscripsit ; non ideo tamen dicendum est Hymnos hujus
Officii ab eodem Pontifice fuisse compositos. (Cfr. Epheme-
rides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 302.)
ad V. *Te Joseph celebrent*. Videtur tribuendus Gersoni
(† 1429).
ad M. *Cælitum Joseph decus*. Ignoti auctoris est, sed jam
prostat in Breviario Benedictino anni 1580.
ad L. *Iste, quem læti colimus*. Sæculi XVI, ut præcedens.
37. VII Dolorum B. M. V., Feria VI post Dominicam Passio-
nis : ad V. *Stabat Mater dolorosa*. Jacopone de Todi (Jacobus
de Benedictis), Ordinis S. Francisci Assisiatis († circa 1306).

- ad M. *Sancta Mater, istud agas*. Est pars Hymni qui incipitur ad V.
ad L. *Virgo virginum præclara*. Est pars Hymni qui incipitur ad V.
38. S. Hermenegildi, Mart., 13 Aprilis :
ad V. et L. *Regali solio*. Urbanus VIII.
ad M. *Nullis te genitor*. Urbanus VIII.
39. Patrocini S. Joseph, Dominica III post Pascha :
ad V. et M. *Te Joseph celebrent*. Ut in Festo, 19 Martii, ad V. n. 36.
ad L. *Cœlitum Joseph decus*. Ut in Festo, 19 Martii, ad M. n. 36.
40. Inventionis S. Crucis, 3 Maji : Sunt iidem Hymni qui recensentur supra pro Tempore Passionis, n. 13.
41. Apparitionis S. Michaelis Archang., 8 Maji :
ad V. et M. *Te splendor et virtus Patris*. Rabanus Maurus.
ad L. *Christe, sanctorum decus*. Rabanus Maurus.
42. S. Venantii, Mart., 18 Maji :
ad V. *Martyr Dei Venantius*. Sæculi XVIII.
ad M. *Athleta Christi nobilis*. Sæculi XVIII.
ad L. *Dum nocte pulsa lucifer*. Sæculi XVIII.
43. SS. Cordis Jesu, FERIA VI post Oct. SS. Corporis Christi :
ad V. *Auctor beate sæculi*. Sæculi XVIII, in Officio concessio anno 1765 a Clemente XIII.
ad M. *En ut superba criminum*. Ut supra ad V.
ad L. *Cor arca legem continens*. Ut supra ad V.
44. S. Julianæ de Falconeriis, Virg., 19 Junii :
ad V. et M. *Cœlestis Agni nuptias*. Franciscus Laurentini, hagiographus, Florentiæ († 1719).
45. Nativitatis S. Joannis Baptistæ, 24 Junii :
ad V. *Ut queant laxis*. Paulus Warnefrid, dictus Paulus Diaconus, monachus Montis Cassini († 797).
ad M. *Antra deserti*. Continuatio Hymni ad V.
ad L. *O nimis felix*. Continuatio Hymni ad V. et M.
46. SS. Apostolorum Petri et Pauli, 29 Junii :
ad V. *Decora lux æternitatis*. Elpis. 3^a strophæ : *O Roma felix*, est S. Paulini. Cfr. nota ad Festa Cathedræ S. Petri, n. 32.
ad L. *Beate Pastor Petre*. Elpis. Cfr. nota ad Festa Cathedræ S. Petri, n. 32.
47. Commemorationis S. Pauli Apost., 30 Junii :
ad M. *Egregie doctor Faule*. Elpis. Cfr. nota in Festo Conversionis S. Pauli, n. 33.
48. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Dominica I Julii :
ad V. *Festivis resonent*. Sæculi XVII.
ad M. *Ira justa Conditoris*. Sæculi XVII.
ad L. *Salvete Christi vulnera*. Sæculi XVII.
49. SS. Cyrilli et Methodii, Pontt. et Conf., 7 Julii :

- ad V. et M. *Sedibus celi nitidis*. Iste et sequens compositi fuerunt a R. P. Leanetti et Rmo Salvati, revisi vero a RRmss Caprara et Tripepi.
ad L. *Lux o decora patriæ*. Idem.
50. S. Elisabeth, Regina Portugalliæ, Viduæ, 8 Julii :
ad V. et M. *Domare cordis impetus*. Urbanus VIII.
ad L. *Opes decusque regium*. Urbanus VIII.
51. S. Mariæ Magdalænæ, Pœnitentis, 22 Julii :
ad V. *Pater superni luminis*. Bellarminus, Soc. Jesu, Cardinalis († 1621).
ad M. *Maria castis oculis*. Bellarminus.
ad L. *Summi Parentis unice*. S. Odo Cluniacensis († 943).
52. S. Petri ad Vincula, 1 Augusti :
ad V. *Miris modis repente*. S. Paulinus. Cfr. nota ad Festa Cathedræ S. Petri, n. 32.
ad M. *Quodcumque in orbe*. S. Paulinus. Cfr. n. 32.
ad L. *Beate Pastor Petre*. Elpis. Cfr. n. 32.
53. Transfigurationis D. N. J. C., 6 Augusti :
ad V. et M. *Quicumque Christum queritis*. Prudentius, in *Cathemerinon*. Cfr. n. 10.
ad L. *Lux alma Jesu mentium*. A quibusdam tribuitur S. Bernardo.
54. Exaltationis S. Crucis, 14 Septembris : Sunt iidem Hymni qui supra recensentur n. 13, pro Tempore Passionis.
55. Septem Dolorum B. M. V., Dominica III Septembris :
ad V. *O quot undis lacrymarum*. Rmus Callixtus Palombella, Episcopus, sæculi XVIII.
ad M. *Jam toto subitus vesper*. Idem.
ad L. *Summæ Deus clementiæ*. Idem.
56. Dedicacionis S. Michaelis Archangeli, 29 Septembris : Sunt iidem Hymni qui recensentur supra n. 41.
57. SS. Rosarii B. M. V., Dominica I Octobris :
ad 1 V. *Cœlestis aulæ nuntius*. Rmus P. Augustinus Ricchini, Ordinis S. Dominici, versus annum 1750, Romæ, ubi erat tunc temporis Secretarius S. Congregationis Indicis, et postea fuit Sacri Palatii magister, hunc et tres sequentes hujus Officii Hymnos composuit.
ad M. *In monte olivis consito*. Idem.
ad L. *Jam morte victor obruta*. Idem.
ad 2 V. *Te gestientem gaudiis*. Idem.
58. SS. Angelorum Custodum, 2 Octobris :
ad V. et M. *Custodes hominum psallinus*. Bellarminus.
ad L. *Æterne Rector siderum*. Bellarminus.
59. S. Teresiæ, Virg., 15 Octobris :
ad V. et L. *Regis superni nuntia*. Urbanus VIII.
ad M. *Hæc est dies qua candida*. Urbanus VIII.
60. S. Joannis Cantii, Conf., 20 Octobris :
ad V. *Gentis Polonæ gloria*. Sæculi XVIII.